

0 1 2 3 4 5


Dr L. THOMAS
71339
PARIS

CASPARI BARTHOLINI
THOM. F.
De
OVARIIS MULIERUM ET GENERATIONIS HISTORIA
EPISTOLA ANATOMICA,
antea Romæ edita.
Cui jam accessit alia ejusdem argumenti.



AMSTELÆDAMI,
Sumptibus JHENR. WETSTENII.
cIɔ Iɔc LXXIIX.



CASPARI BARTHOLINI TH. F.

DE OVARIIS MULIERUM

Epiſtola Anatomica

AD

D. GUILIELMUM RIVAM

Anatomicum Romæ Celebrem.



Unquam ne ergo ab antiquis & diu confirmatis erroribus Anatome liberabitur? ſemperne in dubiis & incertis verſabitur ſcientia nobiliſſima, quæ rectè conſiderata inter pri-

mas certiſſima eſt? Jam ſatis diu cum inveteratis ſomniis & præconceptis antecedentium opinionibus colluctata caput erigere poſſet, & veternum illum atque ignobiles umbras excutere, niſi quorundam perfracta & præjudicata mente adhuc dubia pro certis, falſa pro indubitatis proponerentur, & ita nuperus Anatomæ reſtitutus ſplendor ſupprimeretur, atque in multis jam certò determinata veritas ſtudio perverſo occultaretur. Ita plures adhuc videntur ingenio fundatas ſuppoſitiones & neſcio quam innumerabilem Autorum ſeriem veris experimentis præferre, adeoque hoc pacto nunquam ex antiquis tenebris emerget neque altam caliginem plenè diſcutiet Anatome. Tantum præjudicata-

ta opinio poteſt, ut etiam ſine ratione valeat autoritas. Hinc eſt quod in Recentiorum etiam ſcriptis plurima ad oleum potius & piper condemnanda veniant, quippe cum oſtendi poſſit eorum mentis oculos, ſolos in conſilium adhibitos, in multis erraſſe, alia excogitaſſe quæ non vera, non pauca admiſiſſe quæ falſa, idque neglecto vero rerum examine, quod ab iis non poterat exſpectari magnum, qui ex librorum pondere & Autorum numero commendationem quærunt, & extra veterum dogmata aliquid ſapere religioni ſibi ducunt. Et ſane errorum in Anatome omnium cauſa hinc proxime orta videtur, quod quilibet potius vanam nihil ignorandi, quam ingenuam quædam ignorandi,

professionem amplexus sit. Adeo ignotum per magis ignotum passim explicatur, cum omnia specioso veri titulo adornantur & verbis nihil significantibus circumscribuntur. Cum tamen nesciam quare pudori mihi sit ducendum, liberè fateri, me quædam planè ignorare, de aliis dubitare, nonnulla, ut certa, admittere. Quippe cum homines simus humanum esse recordamur non omnia nosse. Haud ullo in genere venia justior est, si modo, quod *Plinius* inculcat, minimè mirum est, hominem genitum non omnia humana novisse. Et hoc est Socratici præcepti, qui, fateri quempiam nescire quod nescit, turpe non esse asseverabat. Nam quod de errore monet *Celsus* l. 8. c. 4. hic de ignorantia dicam ejus simplicem confessionem inter-

terdum etiam convenire magno ingenio, multaque nihilominus habituro, præcipuè in eo minifterio quod utilitatis cauſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione,qua quis antea deceptus eſt. Et hac methodo majorem acquiret Anatome perfectionem, cum diſtinguantur ea de quibus dubitari non poteſt, ab iis quæ ulteriori cura inveſtiganda ſunt, ut ex dubiis, & incertis vera plane vel falſa evadant. Verumenimverò, quod maxime dolendum eſt, non paucos vana arrogantia in tranſverſum rapit, qui, ne quicquam ignoraſſe videantur, omnia veris ſimilia pro veris venditant & falſa ſpecioſo velo tecta pro veris obtrudunt. Pulchrè *Carteſius* de Methodo: Qui volunt ſcire de omnibus loqui & eruditionis

famam ſibi comparare, eò facilius pervenient, ſi veriſimilitudine contenti ſunt, quæ ſine magno labore in omni genere materiæ inveniri poteſt; quam veritatem inveſtigando, quæ paulatim tantum in quibuſdam patefit, & cum de aliis loquendum eſt, ad ingenuam ignorantiæ ſuæ confeſſionem impellit. Si vero paucarum aliquot veritatum notitiam præferant vanæ nihil ignorandi profeſſioni, ſicut proculdubio præferenda eſt, longè aliter ſe res habet.

Plerique in nova inventa acriter inſurgunt, & non ſolum res, ſed & homines qui illas proponunt & vindicant, irriſui habent; ſed falluntur ii, niſi fallor ego. Quippe ſi res vera ſit, non eſt nova, cum nihil tam antiquum ſit ac veritas. At ſola erro-

erroris deprehenſio nova dici poteſt. Et quia hæc non ſatis diſtinguuntur, ideo plurimi ridiculosè proclamant Naturam everti, quando ſolùm falſa opinio evertitur veteri præjudicio firmata. Annon Parens meus, & *Harvejus*, aliique, qui vel ſanguinis circulum vel lymphæ lactiſque vaſa & viam demonſtrarunt, quiſque ſuos habuerunt manes, & nil niſi invidiam reportarunt? cum tamen unuſquiſque, qui ſenſibus fidem denegare non velit, cogatur, vel invitus fateri, nihil illis inventis novis vel antiquius vel Naturæ acceptius eſſe. Non feliciorem applauſum in incunabulis ſuis experta eſt nupera de Genitalibus Mulierum deprehenſio erroris, quo falsò hactenus putatum fuit, partes Mulie-

rum Genitales virorum partibus analogas fuisse, cum tamen Ova in Ovariis mulierum Recentiorum cura detexit. Manserunt tamen hactenus difficultates quædam, quæ novo & felici invento videbantur contrariæ, quibus quia ex Observationibus sæpius factis me nonnihil satisfacere posse spero, non dubitavi hoc publico notum facere, ut & aliorum inventa confirmem, & de præclara re cunctis omne dubium eximam.

Et ecce his cogitationibus commodùm Tu supervenis, Vir Clarissime, dum meam de Ovariis Mulierum & reliquis ad Generationis Historiam inde pertinentibus sententiam exquiris, quam, his paucis comprehensam, æquo animo sic accipe.

——*Namque Tu solebas*

Meas esse aliquid putare nugas.

Jam tum in nuperis de Diaphragmate Observationibus, Parisiis editis, ubi de sanguine locutus sum, hunc pro principe parte habui, reliquas vero omnes hujus ministras, vel propellentes, ut cor, vel varios liquores sive secernendos sive secretos admittentes & emittentes, ut hepar, glandulas omnes, &c. Ita varia emergunt secrementa sive utilia, vel individuo, ut humor resolvens, vel speciei, ut seminalis liquor; sive inutilia, & ea aerea, ut vapor, aquea, ut urina, aliaque. Ut verè dici possit, omnia *secerni ex sanguine, per cribra, in excretoria vasa*, & vel in sanguinem redire vel partibus apponi, vel in alios usus extra receptaculum sangui-

neum eliminari. Hinc patet omnium functionum conservationi tam individui quam speciei destinatarum communis conditio, dum in singulis nihil fiat, nisi humorum à fluido interno, sive sanguine, secretorum, per angustiarum sanguinei vasis cribra, singulis humoribus propria, excretio.

Hæc est conditio omnium functionum individui conservationi necessariarum, ut latiùs alibi demonstrabitur. Nec diversa res est de iis quæ pro specie conservanda instituuntur.

In partium seminalium viæ consideratione, habemus angustias sanguinei vasis, vasa excretoria, sui generis substantiam, & quod ex sanguine secretum hac via excernitur.

In viris angustiæ vasis sangui-

guinei reperiuntur in teſticulis, veſiculis ſeminariis & proſtatis: Vaſa excretoria ſunt vel confluentia in canales plures viſibiles, ut breviſſimi canaliculi proſtatarum; vel confluentia in cavitates amplas, ut illæ veſicularum ſeminalium, vel in meatum longum, ſed anguſtum, ut longiſſimi duo canaliculi vaſorum deferentium.

In mulieribus anguſtiæ vaſorum ſanguineorum reperiuntur in teſticulis ita dictis communi loquendi modo, aliàs propriè ovariis dicendis, inque uteri tùm corpore tùm collo & vagina; vaſa autem excretoria tum in placentæ parte utero annexa, ut meatus excernentes materiam ovo tranſmittendam; tum præterea totus meatus à loco ubi ovum continetur in ovario,

per uterum & vaginam ; tum alii in vagina canaliculi, glutinoſum humorem, pro ſemine muliebri habitum, ſuppeditantes. Parenchyma vero eſt & placentæ utero cohærentis, vel potius ex utero protuberantis, propria ſubſtantia, & alia proſtatis virorum analoga. Nam an ovarii propria ſubſtantia ovis circumfuſa huc referenda ſit, dubito.

Quod vero ſpectat organa Generationis in mulieribus, conſiderandum eſt eoſdem hic errores commiſſos eſſe, qui & aliis partibus familiares ſunt, nempe ex partium Analogia non recte inſtituta. Nimirum quia plerique vix facta levi paucarum circumſtantiarum obſervatione, ad ſimilium rerum analogiam illico ſe conferunt, & quod obſerva-

vationi deest, ex aliarum rerum ante, & nonnunquam perperam, perceptarum idea supplent. In proprio cerebro systema sibi formant, ad quod viscera ex placitu proprio distinguunt, & ita ex nonnullis solùm partibus corporis ejusdem naturæ consideratis, genus sibi formant, priusquam omnes, quæ ad hoc reducuntur, species exactè examinarunt. Hoc facto partes corporis quæ ad genus illud, in cerebro eorum natum, reduci nequeunt, ejusdem esse naturæ non induci possunt ut credant. Quemadmodum hepar pro glandula habere nequeunt, quia aliis, quas glandulas illi appellant, neque colore neque magnitudine respondet. Attamen unde illi, nisi ex præconcepta opinione, exploratum habent,

reliquas, quas ipsi putant glandulas, hoc nomen justius quam hepar mereri?

Nec aliter orta est, quod alibi monui, de carne musculosa æquivocatio, quam habuerunt pro substantia tomentosa replente spatia fibrarum in musculis, unde per analogiam applicuere eandem vocem reliquis similibus substantiis. Cœterum si per carnes intelligimus (verba jam refero quæ alibi proposui) partem sensibilem non fibrosam & mollem, tantum unius generis reperietur caro quà substantiam, licet quà colores variè dividi possit. Nec enim alibi reperitur quam circa angustias seu vasa capillaria receptaculi sanguinei, cribra seu viscera constituentis, ut in hepate, glandulis aliis, cerebro, &c. Differentia au-

autem à colore desumenda incerta erit, non solum ratione diversorum animalium, sed & ratione diversitatis temporis in eodem animali. Nam in eodem hepate interdum rubet, interdum flavescit, & arte omnia viscera alba reddi possunt. Quod si talem carnis ponamus significationem, vera caro musculorum sub illa non comprehendetur. Quare substantiam mollem non fibrosam appellabimus parenchyma, sive glandulosum sive alterius naturæ, & carnis nomen reservabimus soli parti fibrosæ, molli, aptæ ut in seipsam contrahatur, quæque nullas nisi cum tendinibus utrinque angulos habet. Quæ omnia quamvis in Corde deprehendantur, fuere tamen alii qui peculiarem & sui generis substantiam cordi

tribuerunt, quia sibi persuadere non potuerunt, cum musculis id quicquam habere commercii, cujus fibræ non secundum rectam lineam extensæ sunt. Cum tamen considerandum fuisset, illud ex musculi essentia non esse, quemadmodum in aliis musculis apparet, quorum fibræ non omnes eadem via incedunt.

Ita, inter plures ex Analogia non recte instituta ortos errores, hic etiam invaluit, quod in Mulieribus voluerint partium genitalium analogiam instituere cum partibus genitalibus virorum, & neglexerint analogiam instituendam inter partes genitales fœminarum omnium specierum quæ hactenus natæ. Hæc enim analogia evidenter demonstrat diversarum specierum

fœminas saltem in eo convenire, quod contineant primò *Ovarium*, seu vesiculas inclusas membranis, habentibus vasis sanguinei angustias & sui generis substantiam, unde & sponte separantur tempore convenienti, & per artem illæsæ extrahuntur; Deinde *Oviductum*, seu canalem patentem & versus ovarium, & extrorsum, qui in quibusdam simplex est, ut in Avibus, in aliis duplex; Et ubi duplex est in quibusdam circa medium divisus est, sed circa extremum utrinque in unicum ostium concurrit, ut in pisce à *Stenonio* dissecto ex canum genere; in aliis autem circa extrema interiora divisus manet, ut in muliere & quadrupedibus.

Hæc ante me alii non ita pri-

pridem adverterunt, quæ publicis ſcriptis teſtati ſunt, *Steno, Swammerdam*, *Kerckringius*, *Graaf*. Cœterum quamvis ego etiam clariſſimè ova in teſticulis mulierum viderim & demonſtraverim Hafniæ, Lugduni Batavorum, Pariſiis, Florentiæ, Romæ, alibique, nihilominus remanſit mihi eadem cum aliis difficultas, quam novo invento prætendit *Diemerbroeckius*, qui ova in Ovario mulierum admittere non auſus eſt, neſcius unde tam copioſum, qui in coitu profluit humorem deduceret, niſi à teſticulis qui ſemen ſuum profunderent. Nimirum ductus quidam cœci, qui ſubſtantiam urethræ perreptant, à *Graafio* deſcribuntur, quos non ſufficientes huic muneri arbitratus ſum, ſed alios circa exitum urethræ & vaginæ

ori-

orificium vidi magis patentes, quos etiam huic humori excernendo idoneos crediderim, præcipue cum attentius considerati originem utrinque ducere videntur à substantia quadam glandosa, prostatis virorum ferè analoga, vel sane illi similis, quam in urethra ductus, à *Graafio* descripti, perreptant. Conspectiora hæc in Vaccis non semel deprehendi, in quibus ad latera vaginæ, non procul ab urethræ exitu, utrinque glandula insignis canalem emittit, qui conspicuo & in papilla, quando premitur glandula, protuberante ostio, intra vulvam aperitur, quem cum sua glandula à nemine, uti credo, hactenus notatum, descripsi Lib. de Diaphragmatis structura, c. 3. sect. 5. Illa ex plurimis glandulis con-

conglomerata, fibris carneis peculiaribus & propriis undique investitur, unde magnum naturæ secretum deduxi, quod cum non nisi tempore coitus, vel irritationis, hic humor abundet vel excernatur, non reperiri possint ostia nisi cum papilla protuberet; ideoque, quia humor excerni non potest, nisi protuberante papilla, addidit Natura fibras carneas, quibus in actu venereo, cum liquor excernendus est, premerentur glandulæ, ut papillæ protuberarent. A sphinctere vesicæ videntur hæ fibræ carneæ oriri quemadmodum & virorum prostatas à musculosis fibris superimpositis, à sphinctere vesicæ oriundis, contrahi asserit *Regn. de Graaf*. Ipsa glandula, quæ utrinque conspicitur ex plurimis aliis conglome-

merata eſt, ex qua excretoria exeunt ampla & in papillam illam terminantur, quæ protuberat, quando glandula premitur, aliàs in ſe retracta vix ſui veſtigium relinquit. Ductus illos excretorios, ſi per oſtium, ubi exonerantur, intromiſſo tubulo inflentur, amplos reperies & in varios inſignes ramos divaricatos, qui ejuſdem ferè ubique ſunt craſſitiei uſque ad extremum glandulæ, ſecus ac in aliarum glandularum ductibus excretoriis obſervatur, qui in varias ramificationes ſenſim decreſcentes (ſcilicet à ſubſtantia glandulæ emergentes) terminari ſolent. Hos autem potius veſiculas ſeu ſacculos oblongos dixeris glandulis interiectos à quibus humor in glandulis ſecretus excipitur & excernitur.

De vaccinis glandulis loquor, quas ita in Obſervationibus de Diaphragm. deſcripſi, quemadmodum conſtitutas ſcrutatus ſum non ſemel Pariſiis cum Amiciſſimo *Ioſepho du Verney* Regio Pariſienſium Anatomico. Adeo ut hinc confirmetur *Galeni* ſententia, qui lib. 14. de uſu Part. ex Herophili decreto, proinde ac in viris, fœminis etiam glanduloſas proſtatas ineſſe ſcribit. Cum tales etiam ego Flórentiæ in ſectione fœminini cadaveris in Noſocomio S. Mariæ Novæ, obſervaverim, præſentibus mihi amiciſſimis *Stefano Lorenzini*, & *Bernardo Benuenuti*, utroque magno Naturæ Amaſia. Sed nulla hic, ut in vacca, protuberabat papilla. Preſſo glandoſo hoc corpore viſcidus & pituitoſus exiit humor,

mor, ex una parte unicum, ex altera duo, forte in hoc subjecto, patuerunt ostia. A vaccinis diversa fuit, primò qua ductus ramificationes, quæ quamvis hic satis copiosæ, non tamen proportione tam ampli sunt ductus, ac in vacca, cum illorum exitus hic vix nisi suillam setam admittat; deinde qua ipsam substantiam, cum hic nulla ferè glomeramina, sed substantia durior, albicans, & ejusdem plane conditionis cum prostatis virorum, unde corpus glandosum mulierum potius quàm simplex glandula appellari meretur. Nec sane dissimilis illa substantia videtur in toto vaginæ ductu, quam perreptant ductus illi à *Graafio* descripti.

Immediatè situm est corpus hoc glandosum sub reticulari va-

ſorum plexu à *Regn. de Graaf* obſervato, unde cum hic copioſo ſanguine diſtentus propter muſculi ſphincteris fibras carneas comprimentes introrſum cedat, vaginæ orificium coarctat & ita glandoſa corpora premit.

Alios illos ductus, quos cœcos ſeu lacunas *Graaf* appellat, etiam vidi, ſed ultra tranſverſi digiti latitudinem ſetam non admiſere, unde ulterius proſequi non potui & miror *Graafium* exemptos & inflatos deſcripſiſſe & delineaſſe, atque poſt eum *Schraderum.*

Cœterum non diffiteri poſſum illos ductus quos ego ſupra notavi forſan etiam eſſe poſſe inter eos porulos ſive ductus circa meatus urinarii exitum & in ipſo meatu urinario à *Graafio* deſcriptos, quibus

cum reliquis per totum vaginæ ductum repertis hunc usum tribuit, nimirum pituitoso-serosum humorem generare, qui acrimonia & salsedine sua mulieres salaciores reddit, pudendasque partes delectabiliter in coitu lubricat. De quo notat idem, materiam illam tanta cum delectatione ex ductibus illis prosilire, quanta cum voluptate è prostatis virorum solet; ita ut non adeo alienum à ratione videretur, si effluxus ille mulierum pollutio appellaretur. Gonorrhæam etiam in mulieribus ex illis ductibus provenire posse probat *Graaf*, quia fœminæ nullum aliud semen fluidum, ut viri, in testibus habeant. Atque ita difficultati, qua Ova Mulierum premebantur, obviam itur, cum

hoc pacto analogia instituta inter partes genitales fœminarum, seu omnium specierum in eodem sexu, perbellè procedat, quæ ovario omnes præditas demonstrat, ut quicquid de una verum est, id & de reliquis ejusdem speciei pro certo dici debeat. De oviparis certum est, ova maris semine non nisi fœcundari, quocunque demum id modo contingat. Ita & de viviparis dicendum est, masculini seminis particulis solida corporis non conflari. Quare nollem amplius admittere ut probabile, quod multi adhuc admittunt, seminis particulas ex appulsis ad testes succis separari, fierique diversarum omniumque partium, quibus animalis corpus inde coalescit, congeriem. Quippe cum omnia

nia ex ovo producantur (quod etiam in minimis insectis verum esse demonstravit abunde felicissimus Naturæ scrutator, & illustris Amicus meus *Francis- scus Redi*) omnia ovi conditionem habent.

Ovorum species tam variæ sunt, ut ad unam naturam referri nequeant. De illis eleganter in Anatome Plantarum disserentem *Malpighium* huc adducam: In viviparis à primordiis in ovariis, quæ testes vulgariter dicuntur, exigua continentur ova, in quibus cicatrix colliquamenti portione ambitur, hæc autem in uterum delapsa & ibi foecundata, adveniente ab utero nutritio succo in novum excrescunt ovum, adaucto sensim contento foetu. In pennatis & oviparis ultra ci-

catriculam varii circum locantur humores, qui uteri vices ſupplent, contento fœtui auctionem & nutritionem ſuppeditant. In inſectorum & quorundam imperfectorum animalium minimis ovis, ultra cicatriculam exigua humorum moles exſtat, & brevi incubata animal promunt, quod, ſucceſſiva nutritione externarum partium facta mutatione, diverſas ſubit apparentias, manifeſtatis & emergentibus plurimis membris & quibuſdam etiam obliteratis. Alia pariter aderunt ovorum genera nobis adhuc ignota. Illud unum videtur probabile in exaratis ovorum ſpeciebus perpetuo animalis compagem contineri in aliquibus minus complicatam, in aliis magis manifeſtam; reli-

quum vero circumaffusæ substantiæ pro auctiva materia locari.

In seminalis plantulæ productione ovum etiam excitari arbitratur Celeberr. *Malpighius*, cujus elegantes circa Anatomen Plantarum & Insectorum Observationes exactissimas nuper deprehendi, ejus methodo edoctus, cum præteriti Anni 1676. mensem Majum Bononiæ his naturæ operibus cum ipso perscrutandis insumerem, & viri, antiqui candoris & fidei, charissima consuetudine indies fruerer, quam semper grata animi recordatione recolere non desinam. Unde præter Insectorum Anatomes curiosissimam simul & admirandam notitiam, hunc etiam fructum reportavi, (nam de aliis quæ

Plantarum reliquas partes ſpectant jam taceo,) quod nullo modo dubitem cum *Malpighio* aſſerere, imo cuivis cupienti demonſtrare, quomodo plantula, ceu amnio contenta, percolato à chorio humore ſenſim augetur, & varias ſubit formas, donec acquiſita debita compage & ſtructura, ſeparetur & decidat à parente, ſuique juris facta in determinatum ſervetur tempus, & advenientibus exterioribus excitetur ad vegetationem. Adeo ut ſtatus quo quieſcit ſeminalis plantula ſui generis ovum dici poſſit.

Hæc autem inter Viventium & Vegetabilium ova eſt differentia, quod in oviparis in ovo adeſt alimentum & pro ſtamine primo pulli ante incubationem & pro nutritione pulli in incubatio-

batione, adeoque, præter incubatum, illa exterius nullum exſpectent alimentum. At in Viviparorum ovis non niſi tantum humoris adeſt, quantum ſufficit pro inteſtina fermentatione cicatriculæ, donec in utero ulteriùs tota auctionis & nutritionis materies exterius adveniat, quemadmodum etiam plantarum ovis accidit; In hoc tamen differunt, ſecundùm *Malpighium*, quod manifeſtior eſt ſeminalis compages, gemma ſcilicet & inſignis radicis conus cum appenſis binis foliis, quam carinæ inchoamentum, quod animalium cicatriculam occupat; & in utero novum viviparorum ovum perpetuam ſubit auctionem & mutationem, percolatis continuo ſuccis à circumſtante utero decidentibus.

Totum *opus Generationis*, tam in *Oviparis* quam *viviparis*, versatur vel circa *Ovi productionem*, illius *fœcundationem*, ejusdemque *incrementum*; vel circa *fœtus intra Ovum productionem*, *incrementum* & *eruptionem*. Ex quibus solam *Ovi fœcundationem* ad marem pertinere certum est, reliquas verò omnes à fœmina sola dependere, licet quo modo & quo tempore singula contingant non ita facile determinatu est.

Circa Generationem multæ & difficiles quæstiones inveniuntur. Ego sepositis aliis solùm quæ certo mihi constant hic recensebo, quorum partem alibi proposui. Certum autem est

I. Semen viri non manere in Oviductu, sed sive totum sive

præ-

præcipua ſui parte intra ſanguinem penetrare ; id quod conſtat & per *Harveii* experimenta, nihil in utero reperientis licet plures damas eo fine aperuerit, & communi experimento ferè omnium mulierum percipientium illicò à conceptione ſymptomata univerſalia non aliunde oriunda, niſi à mutata proportione humorum in fluido univerſali ſeu ſanguine.

Non ita pridem hoc propoſui in *Exercitationibus Miſcellaneis*. Nimirum quemadmodum vires medicamentorum externè adhibitorum ſanguini communicari videmus, ita & poſsibile credidi, aſſumptorum ſubtiliorem partem in toto alimentorum ductu ſtatim ſanguini communicari, cum idem de ſpiritibus ad refocillandas vires in ore

assumtis experiamur, & clysteribus nutrientibus, atque mercurialibus exteriùs illinitis sua vis à plerisque non denegetur. Eodem principio inductus credidi impraegnationem similiter fieri per subtiliorem seminis partem, sanguini statim eodem modo communicatam per vasa sanguinea. Unde controversiam cum *Regnero de Graaf* excussi lib. de Diaphragm. cap. 3. sect. 3. ille enim ova foecundari affirmat semine illuc per Tubas transmisso, at ego ibidem contrarium ex propriis *Graafii* rationibus probavi. 1. Quia in cuniculis, quorum generationem observavit quotidie, primùm tertio à coitu die tubas testiculos amplecti vidit, cum tamen dimidia, uti & sexta, post coitum hora, ova testiculorum immuta-

ta viderit, nulla facta mentione tubarum testiculis applicitarum. Unde patet *seminalem*, quam dicit, *auram*, *per tubas ad ova imprægnanda deferendam*, nihil esse, quia ex ipsius propria confessione *vappida evaderet*, ut alibi loquitur. 2. quod maxime nostram firmat sententiam, videmus ex relatione *Graafii*, Tubas non esse testiculis applicitas, nisi cum ovum excipiendum sit, ut nihil loquar de valvula, quam in cuniculorum tubis ipse vidit, impedientem quo minus ex utero quicquam ad oviductus deferatur. Quæ tamen ipsum movere non poterant, ut potiùs existimaverit, quò sua valeret sententia, ipsam in venereo actu vel aperiri, vel inservire crassiori seminis parti excludendæ. Sed

binas tales valvulas in quolibet uteri cornu in Cuniculo certo experimento comprobare facile eſt, quas omni vi adactus flatus ſuperare non poteſt, nec aqua ex utero penetrare per ſiphonem injecta, quamvis contraria via ad uterum per totum cornuum ductum nullo negotio perveniat. In animalibus quadrupedibus & præcipuè vaccis, in vagina & circa os uteri plurimæ rugæ formant diverſas quaſi valvulas, adeo ut me per Epiſtolam monuerit *Malpighius*, incredibile ferè videri ſubſtantiam ſeminis in uterum penetrare, nec in gallinis fieri poſſe, ut ſemen Galli duabus papillulis expreſſum, ad ovarium aſcendat, cunctaque ova aſpergendo fœcundet. Quare ad ſimile quid recurrendum eſt,

quod

quod nos ſupra indicavimus. Diverſa tamen res eſt in Inſectis. In Bombycibus enim animadvertit *Malpighius*, ſemen maſculinum nequaquam recipi in principio tubæ ſeu ovarii, ſed in quodam ſacculo laterali, & ita per ductum peculiarem ova in tranſitu ſemine ibi aſſervato aſpergi, & illa quæ in hoc tränſitu aſperſionem ſeminis non recepere, nequaquam fœcunda eſſe, quod pluribus experimentis confirmavit, feliciſſimus in his indagandis, *Malpighius*.

II. Certum eſt poſt conceptionem à fluidis univerſalibus ſive ſanguineo ſolo, ſive fluido ſimul nervoſo, mutata quædam ova intra oviductum recipi; id quod cum in avibus, piſcibus & ſerpentibus fiat per patens oſtium oviductus, abdominis

cavi-

cavitatem reſpiciens, non dubitandum eſt quin in quadrupedibus & mulieribus eodem modo fiat, præcipuè cùm 1. nulla alia è teſtibus in uterum detur via. 2. Tubæ orificium fibris moticibus inſtructum eſſe evidentiſſimum ſit. 3. Illud ipſum teſticulum ſeu ovarium amplecti non raro obſervetur. 4. Non infrequens ſit in Tubis ova delapſa reperire; denique 5. Orificium Tubæ Fallopianæ ejuſdem in utroque genere nempe avibus & quadrupedibus omnibus, figuræ ſit, ſi in aqua conſideretur, ubi foliaceum Tubarum ornamentum, *Graafio* ita nominatum, eleganter ſe explicat. Id quod etiam illuſtrant fœtus extra uterum reperti, de qua re elegantem obſervationem, Venetiis à Cl. *Iacobo Grandio* factam

factam, delineatam mihi monstravit *Franciscus Nazarius*, in Naturæ scientia versatissimus, ubi non solum fœtus extra uteri cavitatem cernitur, sed & ovum delapsum, in quo primum rudimentum foetus visum afferit.

III. Maternum sanguinem sub forma sanguinis nunquam penetrare aut membranas ovi (ovi nomine intelligo non modo rotundas vesiculas humore plenas testiculorum maximam partem constituentes, sed & easdem, ubi in oviductu in membranas fœtus cum omnibus suis contentis excreverunt) aut in sanguinem fœtus, id quod demonstratur tum primis à conspicuo in oviductu ovo diebus, ubi ovum omnino liberum reperitur, tum circa instantem partum, quan-

quando placenta vel cotyledones in duas partes dividuntur una adhærente ovo, altera adhærente utero, nulla ſanguinis guttula in illa diviſione obſervanda. Quod ipſum experimento evidenti, per injectionem aquæ, confirmo, in *Præparat. Viſcer.* Tractatui de Diaphragm. adjunctis, à me prolato. Hanc etiam opinionem præmonui in *Exercitationibus Miſcellaneis* Lugduni Batavorum ante biennium impreſſis.

IV. Fœtum nutriri & augeri ſeroſo humore per placentam à ſanguine Matris in ſanguinem fœtus tranſmiſſo & per ſuperficiem externam fœtus iterum excreto, iterumque per os aſſumpto; qui continuis circulationibus à ſuperficie externa in internam, & vice verſa ſui

partes

ione partes transmittit, donec quaquid ibi fuerit augendo corpu st utile singulis partibus accreverit, reliqua verò excrementitia & acriora reddita fœtum inquietum sui stimulatione reddunt, quo motu uterus ad excretionem irritatur.

De prima origine humoris amnii controversia est, Qua in re non parum tribuendum existimo sententiæ Doctissimi *D. Sylvestris Bonfilioli*, in Anatomicis versatissimi, quam à præclaro Amico Bononiæ coram accepi. Ille enim humoris in amnio contenti principium ab ipso ovo petendum censet, non secus ac vitelli principium in ovo gallinaceo præexistit.

Quemadmodum ita viventium fœtus per os & umbilicum nutritur, ita & vegetantium (seu

quæ in plantula ſeminalis in ſtylo ne..i in diverſis varius eſt, ſed in omnibus uteri vicem ſupplet) duplici via augeri videtur ex nuperis Obſervationibus Amici Celeberrimi *Marcelli Malpighii*, quæ conſuli poſſunt, Londinenſi prælo non ita pridem commiſſæ.

Cœterum quidnam ſit quod poſt fœcundationem ovum ad exitum diſponat, & quomodo in mulieribus membrana ovarii vaſis conſtructa, pro augmento ovorum ſe extendens & iis elapſis ſe contrahens, pro tranſitu ovi aperiatur, altioris eſt indaginis. In quo præ reliquis penè omne punctum tuliſſe mihi viſus eſt Anatomicus induſtrius *Regnerus Graaf*, cujus recentem mortem ubi primum in Belgium ante triennium veni, ægrè merito tuli.

tuli. Ex illius obſervatione conſtat, prodire ova imprægnata in teſtibus, quatenus poſt coitum tunicæ multis ſanguineis vaſis opacæ conſpiciuntur, & ſequenti tempore inter tunicas illas glanduloſa materia globuli figuram repræſentans & ſenſim accreſcens ovum undique comprimit, illudque per foramen ex ejus medio conſpicuum expellit. Quod in cuniculis tertio die fit; in iis animalibus, quæ diutius uterum gerunt, tardius, unde, judice *Graafio*, falluntur, qui humanos fœtus 3. 4 vel 8. dierum inveniſſe ſe gloriantur. Foramen illud per quod elabitur ovum, papillam vocat prædictus Autor. Immediatè ante & poſt ovi expulſionem reperitur, in vaccis ſtilum, in cuniculis ſetam admittit. Inde con-

concluditur, ex magnitudine ovi de ejus maturitate judicari non posse, quod forsan alii temere facerent, cum ova è Testibus excludenda vel jam exclusa decuplo minora sint aliis adhuc in testibus hærentibus; quia ibi existentia adhuc aliam materiam complectuntur, illam scilicet ex qua glandulosa folliculorum substantia provenit. Plerumque post elapsum ovum tardè obliteratur hæc substantia, quæ in diversis diversi coloris est, in plerisq; subflavi. Hoc corpus in fœmina sex mensibus gravida observavit *Swammerdam*, quæ post gemellorum partum perierat. In cujus testiculo sinistro quasi quædam inflammatio, præterea notabilis cicatrix erat, qua divisa corpusculum heterogeneum

neum ſubflavum, & fibroſum duplici foveola præditum ſeſe obtulit; quia nempe gemellos pepererat. De qua obſervatione vide plura in *Schraderi*, Medici Amſtelodamenſis, Præfatione ad *Harvei* Generat. Animal. Talia etiam mihi Amiciſſimus *Fridericus Ruyſchius*, dexterrimus Amſtelodamenſium Anatomicus, eleganti figura publici juris facta, ex ſectione gravidæ mulieris nuper adumbravit. Ego qui hæc ſæpius in quadrupedibus evidentiſſimè vidi, & non ſemel tùm alibi, tùm Pariſiis in vaccis attentiùs examinavi cum Amico *D. Ioſepho du Verney*, in Anatomicis verſatiſſimo, non dubito quin glandoſum hoc corpus poſt imprægnationem, ovo ſuccreſcat, ut illud, rupta teſticuli

mem-

membrana, extrudat in tubas, excipiendo ovo aptas, & ideo fibris motricibus instructas. Et quis non hic summam Naturæ Autoris providentiam miretur? Sed ut hoc apud me certum & indubitatum est, non alium in finem hanc substantiam post fœcundationem ovi apparere & succrescere, atque post elapsum ovi sensim evanescere; ita hactenus, saltem mihi, ignota sunt sequentia, 1. Unde illa materia, quæ in glandosum hoc corpus succrescit, derivetur, an à vasis sanguineis suppeditetur, an in ovo præexistat, quod probabiliùs, quia, illa accrescente, decrescit ovum. Et quo modo semen virile ita ovum alterare possit, an præcipitando partes aliquas, an alio aliquo modo. 2. Quomodo rumpatur ovarii mem-

membrana, an sola corporis hujus magnitudine, an quovis alio modo. 3. Quò deinde abeat materia hæc, post elapsum ovi evanescens, & unde absorbeatur, an à vasis sanguineis, si illis originem debuerit, an aliter.

Non ita pridem per literas à me consultus Amicissimus *Malpighius*, ex fibris carneis circa ipsa ovaria fœminarum reperiundis, separationis causas petendas rescripsit, quæ tractu temporis comprimere possent vasa ad ovum adultum euntia, & ita impeditis quodammodo alimentis corrumpi caulem, quemadmodum in aliis fructibus, uti ipsius verba, in Epistola Bononiæ 1676. d. 23. Decemb. Romam ad me scripta, ostendunt: *Circa ciò, ch' ella mi chiede, non posso*

ſodisfare alla ſua curioſità, eſſendo gran tempo che hò tralaſciato ſimile curioſità, divertendomi nello ſtudio delle piante. Pure le dirò così alla sfuggita, che l'ova probabilmente creſcendo ſi vengono à ſeparare dall'ovaia, e ſe ben mi ricordo, credo vi ſiano intorno all'ovaia delle femine fibre carnee, le quali con il tempo poſſono comprimere i vaſi, che vanno al ovo creſciuto, e così impedendoſi l' alimento in un certo modo, ſi corrompe il gambo, come accede ne i frutti, e le ſteſſe fibre carnee conſtringendoſi, cauſano lo ſtaccamento: Come poi ſ' inſinui nella tuba, io sò, ch' in eſſa vi ſono lacerti carnei, quali li danno moto & apertura, come neceſſariamente ſi fà nelle galline.

Quare cum ea quæ de ſemine fluido

fluido in Teſtibus mulierum, de vaſis deferentibus &c. antiqui finxerunt, & hodierni nonnulli retinuerunt falſa ſunt, cum in viviparis quemadmodum & oviparis, ovorum atque oviductuum eædem ſint conditiones, conformatio atque connexio, non improbabilem, quin imo demonſtrabilem haud immerito crediderim aſſertionem noſtram; quod vera ſit analogia, quæ inter fœminarum teſtes, omnium ſpecierum, inſtituitur, *Ovaria* poſthac tàm in viviparis quàm Oviparis dicendos. Ut jam potius inquirendum ſit quomodo ad generationem maſculus concurrat, cum eadem quæſtio de fœminis Antiquos jam ſatis diu fatigaverit, quemadmodum optimè monet Amicus meus Præclariſſimus

Franciscus Nazarius in Literator. Ephemerid. 6. Romæ Anno 1669. edit. pag. 88. ubi refert Historiam fœtus Parisiis reperti in Tuba dextra uteri

Atque hic habes, Clarissime *Riva*, quæ de Ovariis mulierum & ex iis dependente Generationis Historia hactenus mihi ex propriis & aliorum principiis certò constant. Habes etiam breviter illa de quibus dubito & quæ inter ignota mihi retuli. Ipsam de his excute naturam atque exta animalium haud gravatus consule, certus sum Te ea quæ pro certis venditavi non invitum confirmaturum. Unum jam tum prævideo, duplici mulierum semini, quod in privato nostro colloquio ex aliorum mente prætenderas, superius satisfactum esse; unum

nem-

nempe ad voluptatem, alterum ad fœcundationem. Primum corpora glandosa, seu si prostatas appellare libeat, cùm reliquis in vagina ductibus suppeditant, hoc nullum datur præter ova quæ in Testiculis Mulierum, rectiùs jam *Ovariis*, reperiuntur, ab hydatidibus, quæ sæpe ovorum specie aliis imponunt, sola coctione facile dignoscenda, quod coctis ovis in albumen concrescat contentus liquor, sed hydatidum liquor coctione non facile indurescat. Alias notas addit *Graaf*, quibus hydatides in testibus differunt ab ovis. 1. quod à testiculorum membranis veluti pediolo propendeant. 2. duplici constant tunica, quæ facilè, contra vero ovorum tunicæ difficile separantur.

Atque hæc ex propriis, & Amicorum obſervationibus deprompta citius in chartas conieci, quàm coquuntur aſparagi. Tuum erit, Clariſsime *Riva*, ea æqui bonique conſulere, quæ amicum animum teſtabuntur. Si digna viſa fuerint, aliis communica, ſin minus, æterna nocte ſepulta abſconde, nihiloſeciùs de meo affectu tacitè locutura. Vale.

Raptim ſcripſi Romæ d. 12. *Ian. Anni ineuntis* M. DC. LXXVII.

Viro

Viro Celeberrimo

D. GERARDO BLASIO

Inclyto apud Amſtelodamenſes Medicinæ Profeſſori

S. D.

CASPARUS BARTHOLINUS

Th. F.



Ondum excidit animo memoria gratiſſimæ conſuetudinis Tuæ, quam inſigni cum voluptate conjunctam expertus ſum, dum me Belgium veſtrum teneret. Quod Tu mei exinde per trium annorum intervalla memor fueris, pro magno affectus Tui, mihi & Parenti meo ſæpius probati, documento interpretor. Corpore quidem à te in Galliam, Italiam, Germaniam, licet ægrè, divulſus ſum, non ani-

mo. Grata enim elapſi temporis recordatione ſemper delectatus, quaſi ad præteritam tecum conſuetudinem redire mihi viſus ſum. Non deſtiti tamen ſubinde literis defectum præſentiæ ſupplere, & earum commercio obrepens identidem Tui deſiderium lenire. Nunc, Deo greſſus dirigente, Patriæ meæ dulciſſimæ redditus, commodum offendi ultimas Tuas ad me datas, ex quibus quod de ſecundo ſtatu Tuo certior factus ſim, magno mihi gaudio eſt. Ut verò ſcias, quàm prompta voluntate juſſis Tuis obſequi allaborem, mitto Tibi, quem deſideras, Tractatum meum de Diaphragmate, Pariſiis non ita pridem editum, una cum Epiſtola, quæ experimenta quædam de nervoſo genere & motu muſculorum in Ranis exhibet.

hibet. Illis insuper adjungo Romano prælo commissam Epistolam de Ovariis Mulierum & Generationis Historia. Fortasse miraberis, Vir Clarissime, me post tot Homeros quasi Iliada scribere velle, & rem Observationibus Anatomicorum jam tum firmatam, nunc demum in publicum protrudere. Sed non miraberis, si ad occasionem, quæ me ad scribendum impulit, attendas. Fateor ante me alios ova in Testibus mulierum primò descripsisse, & hujus inventionis gloriam *Stenonio*, *Kerckringio*, *Swammerdammio*, *Graafio*, ingenuè defero. Sed mecum ipse non ignoras relictam esse difficultatem, quam novo invento obvertit *Diemerbroekius*, unde nisi à Testibus, humor in coitu profluens proveniret, cujus ego

fontes paulo manifestiores quàm descripsit *Graafius*, inveni. Nec hæc observatio tanti mihi fuit, ut ideo pennam instruxissem, nisi ad hoc compulsus fuissem ab Amico Clarissimo *Guilielmo Riva*, cujus extant apud Romanos præclari in Anatome illustranda conatus. Illius rogatu rem hanc illustrandam suscepi, quæ adhuc plerisque Romæ visa est quasi incredibilis. Ego observationibus aliorum & propriis stabilitam Generationis Historiam Epistola comprehensam ipsi tradidi, in eorum gratiam, qui hanc de Ovariis Mulierum observationem nondum intellexerunt. Non illam intellexisse quosdam, qui alias magno, sed inani, fastu turgent, evincam. Prodiit nuper Patavii Anno 1676. in 4. *Hieronymi Barbati* Dissertatio Ana-

natomica, *de Formatrice, Organizatione, conceptu & nutritione fœtus in utero.* In qua, quæ de ovariis mulierum profert, breviter examinabo, cum forte nondum ad manus Tuas pervenerit.

Pag. 69. ita loquitur: *in fœminarum testibus reperiri ova & aspersione virilis seminis fœcundari testatur Graefius L. de mulier. Organ. quam opinionem specioso certitudinis titulo statim insignivit Malpighius, solitus alioquin de singulis dubitare. Ast quæ in testiculis æmulantur ova sunt glandulæ ovales; illa quippe* (scilicet ova aliorum animalium) *liquoribus inveniuntur plena, hæ* (sc. ovales glandulæ, ipsi appellatæ, quas specie ovorum in Testibus imposuisse credit) *plerumque extant inanes, quique humor in his aliquando luxuriat, æstu minime concrescit; illorum.*

rum verò (ova aliorum animalium intelligit) *ſubſtantia ſecundum omnes ſui partes ſemper coagulatur ab igne*. Vera hæc de ovis in genere dicit, quod ab igne illorum humores concreſcant; at ejuſdem planè naturæ ova, quæ in teſtibus mulierum reperiuntur, illum nunquam vidiſſe, Jovem lapidem jurarem. Verum hydatides,quæ ibi plerumque non infrequentes ſunt, pro veris ovis ipſum ſumpſiſſe liquet, & ita magnis excidit auſis, quum illarum liquor coctione non facile indureſcat; non ita autem ova in mulierum ovariis, quæ ad ſui generis naturam igne concreſcunt. Ignoſcerem huic errori, niſi etiam limatum oculatiſſimi *Malpighii* judicium in dubium vocaſſet. Talis ille mihi dudum cognitus eſt, ut nihil temerè credat.

Anne ideo reus adduci meretur & malè audire? Maluit quondam Magnus Alexander videri nimis timidus, quàm parum prudens.

Pergit ibidem *Barbatus* his verbis: *Quod perhibet fig. 2. lit. R. Graefio videbatur ovum, & extractum ostendit fig. 4. sed est evidens glandula, dissecta enim intus habet protuberantias, expressas fig. 5. lit. SS. Sicut caeterae glandulae.* Ad vim hujus argumenti attendat accuratus Lector. De crudis ovis loquitur, in quibus humor ex ipsius propria confessione aliquando luxuriat, qui aestu minimè concrescit. Quod si verò in nondum coctis ovis intus protuberantias mihi monstraverit ut in reliquis glandulis, jam mihi magnus erit Apollo, quia hoc falsissimum judico. Sed illum

ita deceptum credo, quod, quia corpus illud glandoſum, poſt ovum elapſum nonnunquam in teſtibus remanens antequam evaneſcat, ignoravit, hoc pro vero ovo ſumſerit. Nam hujus diſſecti facies vix à reliquis glandulis diverſa eſt.

Porrò ova humana impugnat *Barbatus : Imo*, inquit, *ſi foret ovum, quod negamus, teſtium tot devinctum vaſis, quómodo commearet in Tubas.* Hoc argumentum invictum eſſet, ſi *Barbati* arbitrio ſtaret natura & caderet, atque ipſum ſolum à conſiliis haberet. *Barbatus* modum ignoravit, quia non ſatis inveſtigavit quomodo è teſtibus liberetur ovum, ergo omnino non liberatur. Miſera certè hæc veritatis conditio foret, ſi propter quorundam ignorantiam ſemper lateret. Alios du-

ductus è testibus in uterum dilatatos, fig. 2. q. q. ab ipso indicatos, ibidem descripsit, quos *Barbato* notissimos ipsi naturæ maximè ignotos constanter affirmo.

Nec felicius pag. 40. mulieribus prostatas glandulosas denegat, quia nullius usus fore affirmat, argumento ex viris desumpto, de quorum prostatis, quot verba tot figmenta proponit pag. 40: *Prostatarum radices ab arteriis nascuntur, per corpus penis expansis; unctuosam non extravasati sanguinis humiditatem intra prostatarum cavitatem adducentes, quæ musculorum superimpositorum compressione in alios pellitur albescentes ductus ad glandem usque sub urethræ tunicam expansos, rotundasque penis dein innumerabiles ingreditur fibras, ubi calore arte-*

teriarum fit tenuior, fique venereis imaginibus, cogitationibus aut delectabili contactu accendatur ſanguis, extenuatur magis fibrillarum humor, ac vertitur in flatus, quibus erigitur tenditurque colis, &c. Hanc gloſſam, in cerebro ejus natam, quivis facile refellere poteſt, qui vel ſemel conſideraverit, corporis glandoſi varios ductus, ad latera carunculæ magnæ, ubi terminantur oſtia deferentium, ſeſe in urethram exonerare, qui exiguis carunculis obturantur, quales in homine 10. in canibus circiter 90. numeravit *Regn. de Graaf.* Taceo quod de veſiculis ſeminalibus ibidem valde abſurdum affert *Barbatus*, dum illas idem peni præſtare credit, quod vaſa lymphatica reliquis partibus. Quem errorem inde proceſſiſſe judico, quod non rectè

reli-

reliquorum lymphaticorum originem, progreſſum ac uſum noviſſe videatur.

Poſſem circa alia in dicto libro refellenda, eandem mihi in ipſum licentiam ſumere, quam ille ſibi in alios ſumſit, niſi hoc jam agere nollem. Prætereo enim quæ de Parente meo parum juſtè loquitur in *libr. de ſero ſangu.* cum res illæ tam claræ ſint, ut reſponſione mea non indigeant, ſatis ſuperque ab aliis ante me vindicatæ. Non ſemel in hoc tractatu *de fœtus nutritione* immeritò *Bartholinum* laceſſit, ut pag. 17: *Diſplicet*, inquit, *quod Autor ille ignotum per magis ignotum doceat; non enim declarat, quid per ſpirituoſam ſeminis ſubſtantiam intelligi debeat.* Ita & pag. 88: *At veterum facultas, quam admittit Bartholinus, non intelligitur, de*

qua

qua fusius qui loquuntur, circa ens versantur imaginarium, aut non satis se explicant. Cæterum videat *Barbatus* an magis intelligantur quæ ipse passim in hoc suo opere usurpat. Pag. 1. *prolifica feminis virtus, effingentis animæ latens essentia.* Pag. 4. *Efficiens naturale in semine præexistens.* p. 6. *seminalis spiritus.* p. 10. *vis formaliter effectiva.* p. 28. *vascula testium quibus formator extrahitur spiritus.* p. 104. *Prout magis vel minus formator spiritus operi aptus est.* Nam integras paginas omitto, quas innumerabilibus Autorum testimoniis oppletas edisserit de *Spiritu insito, calido innato, causa sexus, specifica similitudine, similitudine individuali, recta fœtus organizatione,* &c. De quibus illi hoc idem respondebo, quod ipse usurpat Pag. 4. ubi varias Autorum *de for-*

formatrice opiniones recenſuit: *At quid hæc præter nomina?* Et Pag. 17. de alicujus ſententia inquit: *quibus nihil docemur, ſuntque voces inanes*. Neſcio ſanè an rectius hæc intelligantur, quam illa quæ ex veterum placitis attulit *Bartholinus*. Quippe unicum addam quod ad defenſionem Parentis mei hoc loco ſufficiet, me à quovis, Parentis mei *Anatomen*, toties *Reformatam*, pervolvente, velle in ea tres ætates diſtingui: Primam, quando Inſtitutiones primò ab Avo meo ſcriptæ ſunt, methodo, ex more ſeculi, Galenica, cum penè nefas eſſet extra veteres quicquam ſapere: Secundam, cùm jam paulatim è tenebris emerſit, experimentis nonnullis firmata, & ſemel atque iterum illuſtrata à Patre meo: Tertiam, ubi nunc in clara Ana-

tomes

tomes luce nihil temere creditur, nisi experimentis firmatum, ad usum rationis accommodatis. Ita Parens meus illa omnia abundè tam à se, quàm ab aliis acquisita, ad Anatomen priorem contulit, paucis ex pristina methodo immutatis, ut utrorumque curiositati satisfieret, & eorum qui veterum placita, & eorum qui Neotericorum experimenta desiderabant. Atque hac via progressus in Anatomes Reformatione, quia fundamento Galenico Patris sui, ut tunc erant tempora, ab initio reliqua superstruxerat, non potuit quin terminos quosdam retineret, postquam semel Parentis sui Institutiones ad genium seculi prioris scriptas, edendas & illustrandas sumserat. Nunquam autem, quemadmodum ex scriptis ejus liquet

liquet, tantum dedit præconceptæ ex Antiquorum ſcriptis opinioni, quin hac veriora, tam à ſe quàm ab aliis detecta, potiora ſemper habuerit, ubique demonſtrationes admittere paratus. Non ita autem alii nonnulli animati ſunt, qui veritatem potius ipſam, quam ſcripta ſua, toties ac Pater meus, reformare velint.

Sed de his plura jam non addo. Tu vale, & favere perge Tuo Bartholino.

Scripſi Hafniæ d. 26. Nov. 1677.

CASPARO BARTHOLINO

Inter peregrinandum per Europam pulcherrimos eruditissimosque Anatomicos libros in lucem edenti.

Maxima dum parvi referas Miracula Mundi
Qui Microcosmos erat, jam Macrocosmus erit.
Lustrando terras alii miracula quærunt,
Tu facis: & mundo suspicienda refers.
Orbem alii spectent, mirentur: suspicit Orbis
Te magis, & monstrum præcocis ingenii.

Ad

Ad Eundem

Adoleſcente adhuc ætate tam multa in Anatomica ac medica doctrina feliciter molientem.

BArtolus ut dubii moderatur Jura Senatus
Compeſcens ſtreperi jurgia ſæva fori:
Bartholine *regis Medici ſic fræna Lycæi*
Et dignum tanto te Genitore probas.
Barbati properate Greges. *Imberbis Apollo*
Sacra Machaoniæ prima recludit Opis.

A. Buldigianus Florentinus.




Dr L. THOMAS
PARIS

